



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



LECTORI.

Forum pando, Amice Lector, amplissimum, ac frequentissimum; quia Beneficiale: Res siquidem Beneficiaria non solum potissimum Iuris Canonici partem occupat; sed & talis est, quae nulla Reipublica, praesertim Ecclesiastica, occurrit frequentior, ut bene Lotter. in Appar. num. 1. Huc confluxere, nobilissimasque eruditionis suae merces, & opes convexere omnium fere nationum Institores celeberrimi: Barbosam suam secuti Portugalli; Rebuffum, Tondutum, Thomasinum, Baumium Galli; Garciam, Castropalaum, Vasquium Hispani: Lessium, Vallengem Belgae: Zechum, Laymannum, Pyrrhingium Germani: Parisum, Lotterium, Pyrrh. Corradum, Card. de Luca, innumeri propemodum Itali, societatem suam singuli in eruditam hanc negotiationem conferentes symbolam. In quo proinde Foro si recte versata, & negotiata fuerit sagax industria, non poterit non opulentum, non solum scientiae, & honoris, sed & bur.sale lucrum sibi polliceri, iuxta illud Probi ad Monach. in Rubric. de praeb. in 6. num. 1. In tota Legali Philosophia studium nullum aliud hoc Beneficiali studio magis utile creditur & lucrosum. Forum demonstro, si ullum aliud, contentiosum, utpote ad quod insano veluti astra immensa contendit, vel potius ruit Candidatorum turba; sed gressu praepropero, cupiditate omnino praeposteram, dum non scientiae Beneficialis decore allecti, eaque mediante ad Beneficia, officiaque Ecclesiastica contendunt; sed ea, omniq; fere aliam literaturam neglectam ac fastiditam, caco & intempestivo impetu Beneficia ipsa involare praesumunt, ut recte dixerit Lotterius l. cit. Dum cetera (spiritualia non sine ratione appetuntur, in Ecclesiastica tamen Beneficia eo impetu irrumpunt quidam, ut neque currentes se, neque cognoscant euntes: ita etiam, ut vix ulla amplius Constitutionum Apostolicarum, aut Regularium Cancellaria repagula, quibus omnibus fere saeculis sanctissimi Pontifices rabidae, ut inquit Lotterius, huic cupiditati occurrere studuerunt, sufficere videantur, quae non vel impudenter per-rumpant, aut dolosis technis clam penetrare attentent infelices illi Beneficiorum nundinatores; qui si hanc ipsam desideriorum suorum contentionem in acquirenda prius ac potius Beneficiali, aliaque literatura Ecclesiastico viro digna, ac necessaria impenderent, mercarentur feliciter, honestiusque ad Beneficia eniterentur. Sed neque minus contentiosum (utendo hoc nomine legaliter) dixerim hoc Forum; est enim sine modo, sine fine res Beneficiaria contentionum ac litium feracissima: testantur id totius orbis Curiae Ecclesiasticae, ac potissimum suprema Urbis tribuna-lia, ad quae dum undique ex provinciis Ecclesiasticorum devolvuntur causa, sine errandi periculo pronunciare ausim, ex millenis vix esse aliquas, quae Beneficia-les, aut vis proximè affines non sint. Unde denuo consequitur, studium, quod rei Beneficiariae impenditur, progenitamque ex eo scientiam non posse non esse pra omnibus aliis philosophiam legalem lucrosissimam. Vbi tamen obiter monendum, ne, dum de lucro, temporali etiam, audis fieri mentionem, Forum suspiceris profanum: longè enim diversis ab eo, & veluti paradoxis Forum Beneficiale utitur

Ad Lectorem.

utitur legibus. Venditio ex eo proscripta omnis, emptio omnis pactaque procul. Dum dum disturbata in eo cathedra vendentium columbas mensa nummulariorum multiplici flagello eversa, missi cum pecuniis suis in perditionem Simones. Merces hic non prostant alia, quam sine pretio pretiosae, merces unica ministerii, laborisque sacri stipendium.

Verum, ut vicinius tibi mentem meam aperiam, Lector benevole, ad Forum beneficiale novum invito ac deduco, ita tamen, ut forum antiquum omnino aspernaturus aut deserturus non sim, dum vel in ipsa Operis huius mei fronte, seu pagina titulari profiteor, rem me beneficalem, tum juxta Beneficialistarum antiquorum, tum recentiorum placita tractaturum; neque enim merces ex eo semper contemptibiliores, quod sint antiquiores, dum juxta vulgarem sensum pecunia antiqua melior, vinum vetus commendatius, pictura antiqua saepe nobilissima. Quin potius antiqua, dum qua est, obscuritati novitatis lumen aliquod ex Auctorum recentiorum declarationibus affundere; uti è contra Recentiorum novitatem antiquorum auctoritate stabilire sim allaboraturus. Sed ait Plinius in praefatione Historiae suae naturalis: Ardua res est, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lumen, fastiditis gratiam, dubiis fidem. Fateor vel ex hoc ipso praeter difficultatem non modicam mihi multorum invidiam pertimescendam, dum post tot alios de studio beneficiario praeclarissime meritos illud negotii novissimus ego aggredi audeo. Solatur tamen è contra, et conatum qualemcunque hunc meum exstimulat illud Eccles. 4. Animadverti, omnium hominum labores & industrias patere invidiae proximi. Quin nec magnopere vereor prudentium ac intelligentium (imperitorum autem ac malevalorum habenda non est ratio) ullum livore erga me astuturum, aut subito forte audito illo novitatis nomine exsurgentem illius motum compressurum facile, ubi, quid illo intellectum cupiam, quodque mihi hac scribenti fuerit propositum, per spexerit; scilicet statuisse me ea, quae Auctorum in hac materia perdifficili et intricata scripsere forte doctis subtilius, ac ideo ad captum vulgi, et tironum obscurius, explicatioe ac simpliciore methodo per quaestiones ac responsa digesta proponere; quaeque in aliis, recentioribus potissimum, in hanc rem repereram, imitatus apes, quin et Auctores praestantissimos non paucos, in unum et arctum collecta exhibere. Scopus enim erat non doctis exercitatisque, in hoc beneficiali studio, sed rudibus subvenire, eorumque potissimum sublevare laborem, quibus vel copia non est copiosas frequentare Bibliothecas, aut otium amplissima plurimorum Auctorum hac super re indagare, et pertrahere volumina. Quod me quoque impellabant dicta illa à D. August. l. 1. de Trinit. c. 3. tom. 3. Quae ab omnibus scribuntur, in omnium manus veniunt, & fieri potest, ut nonnulli, qui etiam hanc nostram aetate intelligere valeant, etiam illos planiores inveniunt libros, & in istos saltem incidant; adeoque utile est, plures à pluribus fieri tractatus diverso stylo, & non diversâ fide, etiam de quaestionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic &c. Non veram namque aliâs divinâ sapientiae oraculum, Eccles. 1. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere; ecce hoc recens est. Et hinc, ut bene Hyacinthus Donatus nunc scribentes nihil novare, nec quicquam modicum novandum habere, cum nullum jam sit dictum, quod non dictum prius. Unde et natum adagium: dic novè, non nova, displicentque communiter novatores. Tibi interea, Candide Lector, mens illa mea non displiceat, sed conatum fave, fructuere, et vale.

ERRA-